

HISTORIARUM INDICARUM LIBER SECUNDUS.

PATEFACTA jam India, & incognitæ ad eam diem navigationis ratione utcunque comperta; primum omnium Emmanuel toto regno supplicationes indixit. Populi circa præcipua templa frequentes iere. Dein, MARIÆ Virgini ejus navigationis præfidi exstructam olim ab Henrico principe ædiculam in ipso aditu portus Olifiponensis, miram in amplitudinem extulit auxitque: ac loco in primis illustri, ut ab omnibus conspici posset, ipsius Henrici militarem statuam collocavit. Ad ejus templi custodiam & cæremonias, & navalis præsertim turbæ ducumque animos rite expiandos, eximia sanctitate monachi acciti. e Hieronymiana familia: quam Rex præcipua benevolentia ac veneratione prosequatur. Locus, desumpto a Christi incunabulis nomine, Bethleem dictus: in primis totius Hispaniæ tum structura tum religione visendus. Et quoniam Gammæ comitumque fama celebratasque, & multiplex Indicarum opum relatum in Lusitaniam specimen, omnium animos in rerum ingentium spem & ejusdem itineris cupiditatem erexerat; tanti consensus ardorisque bono utendum ratus Emmanuel, nequaquam ultra exploratoriis navigiis, verum justis jam classibus ea maria sibi sulcanda constituit. Navibus tredecim, quæ alvei magnitudine, & hominum frequentia, & onerum æstimatione, haud exiguas Lusitani regni opes & copias indicarent, Petrus Alvarus Capralis, claro æque genere ac virtute vir, summa cum potestate præficitur, Gammæ interim requie ex longa defatigatione concessa. Huic ab Rege mandatum in primis, ut Christianam fidem religionemque in iis regionibus tum serere, tum amplificare omni studio insisteret. dein, ut Calecutanum regem quanta maxima lenitate ac diligentia posset, ad firmam pacem & stabile fœdus alliceret: ille si durum & illiberalem & infidum sese præbere perseverasset; tum vero barbarum scelus, & illatas Vasco Gammæ injurias vindicaret; cumque nefariis Christi hostibus justum piisque susciperet bellum. Idcirco, partim ad prædicandum ethnicis Evangelium, partim ad Christianorum animos procurandos, egregie pius doctusque Theologus Henricus Franciscanus, qui postea Septæ urbis fuit Episcopus, cum sacerdotibus aliquot in eandem expeditionem est destinatus: & præter vectores navalemque turbam, ex Lusitana juventute, delecti mille & quingenti propugnatores in classem impositi. Capralis litato profectus, anno millesimo quingentesimo a partu Virginis, Martio mense (quem ad iter Indicum maxime idoneum deinde monstravit usus) ad Hesperidas tertio decimo die processit. Circum eas insulas fœda tempestas coorta classem late disjecit. e præfectis unus Ludo-